

1522 præteritorum recenti memoria oppidani permoti adversus ipsos commoveantur : satius itaque ac tutius esse Cremonam contendere. Hæc Grito, ut Lautrechio suaderet, Senatus mandavit ; ab iis si aversus esset, aditum ei in Brixensem, ac Veronensem agrum permitteret. Lautrechius cum nuper Scudum fratrem Cremonæ præfecisset, animi anxius, ac ob res parum prospere gestas solicitus, in Brixenses se recepit, ac paucos dies in ea regione commoratus, copiarum, quæ superant, imperio fratri relieto, familia comitatus, per Ræthorum, atque Helvetiorum fines in Galliam reversus est.

*Pisleo a  
Davallo ca-  
ptus.*

*Cremona  
deditio a  
Scudo pa-  
cta.*

Prosper vero Columna, Laude direpta, ad Pisleonem Davalum reliquit, qui, incolumitate civibus pacta, statim oppido est potitus. Ipse cum exercitus robore, Abdua superato, ad Cremonam castra admovit; Scudus urbis Præfectus, cum se imparem illi tuendæ nosset, Gallorum copias imminutas, aliunde auxilia frustra expectari, ad concordiam cum Columna ineundam animum flexit : ea vero his conditionibus fancita est : ut quadraginta dierum spatio elapso, Cremona Cæsari restitueretur, Scudo cum militibus, explicatis vexillis, tormentis bellicis, ac sarcinis omnibus in Galliam reverti liberum, ac tutum esset ; ni interea e Galliis exercitus mitteretur, qui, aut flumen Padum trajiceret, aut in Insubribus civitatem aliquam militum præsidio firmatam expugnaret : interim ab armis utrinque abstineretur ; captivi ultro, citroque redderentur ; oppida quæcunque in Gallorum potestate essent, Mediolanensi, Cremonensi, Novariensi exceptis arcibus, statuto dierum intervallo elapso, in Cæsaris potestate essent. Pactionibus jurejurando confirmatis, obsidibusque a Scudo datis, Columna animum ad Genuam occupandam convertit, haud exigua spe fretus, si quam celerrime civitatem diffidiis civilibus laborantem, neque aliquid hujuscemodi timentem adoriretur, fore, ut ea potitus, tota Italia Galli excluderentur. Itaque statim cum exercitu Genuam contendit, Antoniotto, ac Hieronymo Adurnis fratribus comitantibus, quorum factio Fulgosii inimica, sèpius de patriæ imperio cum illa certaverat, ac variis eventibus nobilem urbem civili difensione foedaverat. Octavianus Fulgosi, qui tunc Rempublicam administrabat, suis admodum gratus, rerum usu præstans,